

Franckesche Stiftungen zu Halle

Historia Reformationis Ex B. D. Martini Lutheri Aliorumque fide dignorum scriptorum monumentis eruta ac digesta

Majus, Johann Heinrich

Francofvrti ad Moenvm, MDCCX.

VD18 11197102

Locus VI. De Morte.

Nutzungsbedingungen

Die Digitalisate des Francke-Portals sind urheberrechtlich geschützt. Sie dürfen für wissenschaftliche und private Zwecke heruntergeladen und ausgedruckt werden. Vorhandene Herkunftsbezeichnungen dürfen dabei nicht entfernt werden.

Eine kommerzielle oder institutionelle Nutzung oder Veröffentlichung dieser Inhalte ist ohne vorheriges schriftliches Einverständnis des Studienzentrums August Hermann Francke der Franckeschen Stiftungen nicht gestattet, das ggf. auf weitere Institutionen als Rechteinhaber verweist. Für die Veröffentlichung der Digitalisate können gemäß der Gebührenordnung der Franckeschen Stiftungen Entgelte erhoben werden.

Zur Erteilung einer Veröffentlichungsgenehmigung wenden Sie sich bitte an die Leiterin des Studienzentrums, Frau Dr. Britta Klosterberg, Franckeplatz 1, Haus 22-24, 06110 Halle (studienzentrum@francke-halle.de)

Terms of use

All digital documents of the Francke-Portal are protected by copyright. They may be downloaded and printed only for non-commercial educational, research and private purposes. Attached provenance marks may not be removed.

Commercial or institutional use or publication of these digital documents in printed or digital form is not allowed without obtaining prior written permission by the Study Center August Hermann Francke of the Francke Foundations which can refer to other institutions as right holders. If digital documents are published, the Study Center is entitled to charge a fee in accordance with the scale of charges of the Francke Foundations.

For reproduction requests and permissions, please contact the head of the Study Center, Frau Dr. Britta Klosterberg, Franckeplatz 1, Haus 22-24, 06110 Halle (studienzentrum@francke-halle.de)

[urn:nbn:de:gbv:ha33-1-211445](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:gbv:ha33-1-211445)

dus & magis principalis ut sit fons & origo generis humani, ut nascatur proles, & propagetur genus hominum, sive ut Jure-consulti dicunt, ad replendam civitatem. Sed ex sacris literis hic finis addi debet, ad gubernationem Ecclesiæ & Politicæ. Hoc igitur caput diligenter tenendum & observandum est piis, quod uterque sexus à Deo conditus est ad conjunctionem & consuetudinem individuum vitæ. Hoc est, Dei voluntas est, qua vult nos masculos & fœmellas legitime conjungi, ut educemus prolem, quæ Ecclesiæ & Deo serviat. Hoc ubi firmiter retinebimus, facilius etiam feremus & superabimus omnes molestias & difficultates, quæ in hac calamitosa vita conjugibus obijciuntur.

(g) *Ad Genes. XXIV. Tom. II. p. 1292. seq.* (h) *ad Genes. XXVIII. Tom. III. pag. 416.*

§. XXVI.

De adjunctis & contrariis conjugii nihil attinet seorsim & sigillatim dicere, cum ne nimis proluxa fiat tractatio, tum quia pleraque huc spectantia subinde indicata & inspersa sunt.

LOCUS VI.

De

MORTE.

§. I.

*Mortis meditatio in-
stituenda
ante mortē,
in vita.*



Mors est hujus vitæ omniumque humanorum operum finis. Sæpius igitur hæc de morte cogitatio in animum revocanda est, dum incolumes vivimus, dumque procul adhuc mortem abesse censemus. Tum cum jam moriendum est, ac nos ipsa mors urget, plus diligentior mortis meditatio obest, quam prodest: imo, tum omni-

Doc. ecc. 3

omnino alio deflectendi sunt oculi, & quam longissime ejicienda animo illa mortis cogitatio. Nam mors tum demum est validissima, si alioqui infirma natura, importuna ac nimia cogitatione mortis se defatiget.

Tom. I. fen. Lat. fol. 354. a, b.

§. II.

Tanta vero est miseria, quam ex peccato contraxerunt *gentiles de* nostri primi parentes, & in posteros propagarunt, ut homo non *ea stulte di-* solum se & Deum ignoret; sed ne calamitates suas, quas sentit *sputarunt,* & patitur, has nec unde sint, intelligit, nec videt, quo redeant. Nam vide illam gravissimam & horribilem pœnam, quæ est mors, & tantis calamitatibus inundat in totum genus humanum, quam stulte de ea sapientissimi homines disputarunt, dum alii suadent, ut contemnatur, sicut ille dixit, summum nec metuas diem, nec optes. Alii dum sentiunt, nimis esse gravem rem, eo inducunt homines, ut præsentibus voluptatibus ad leniendum malum hoc indulgeant liberius. Sicut extrat notus, sed depravatus versiculus, ex *Sardanapali* Epitaphio sumptus, *ede, bibe, lude, post mortem nulla voluptas.* Sic sapientes mundi, dum pœnæ peccati mederi volunt, in majora peccata involvuntur. Neque enim mors contemnendo vincitur, sicut latrunculi & milites putant fortitudinis specimen se edere, cum etiam per jocum, pustulas gallicas, & similes calamitates aliis imprecantur. Alia arte, aliis remediis opus est. Fere idem recentiores *& recentiores* Theologi faciunt, cum exemplo gentilium disputant in fune- *res Theologi* brius orationibus, non esse dolendum tanquam in re mala, *fere idem* mortem esse portum quendam, in quem conclusi, tuti simus à *fecerunt.* laboribus & calamitatibus, quibus hæc communis vita subjecta est. Porro hæc extrema est cæcitas, & miseria alia, superaddita peccato originis, quod ipsum peccatum & mortem, cum reliquis calamitatibus generis humani sic extenuamus, & pugnamus contra communem sensum, contra ipsam experientiam, ac nobis

nobis

Quomodo
Moses de
morte dispu-
tet?

nobis blandimur levissimis & vanissimis cogitationibus. Non enim iste est modus disputandi de morte, sed sunt, ut sic vocem, gentiles cæcitates & fructus peccati originis, quod sua mala defendit non esse mala, cum tamen diversum sentiat & experiat. At Moses in Psalmo XC. longe aliter de morte disputat. Hoc enim primum agit, ut mortem, & reliquas hujus vitæ calamitates, quam potest maxime exaggeret, ac utitur hic nova Rhetorica, vocans mortem iram Dei. Addit ex sua *Dialectica causam efficientem & finalem* mortis, & omnium calamitatum hujus vitæ. Porro si respicias ad *consequentia*, facile intelliges, cum non simpliciter loqui de morte corporali; si enim ea sola expectanda esset, diceremus cum Poëta: *summum nec metuas diem, nec optes*. At nos sustinemus æternam mortem, siquidem iram Dei, quæ à nobis vinci nequit, sustinemus.

Tom. IV. Gen. Lat. fol. 521. b.

§. III.

Mors va-
ria, corporis
& animæ
&c.

Quia vero mors non una sed multiplex est, de voce & varia ejus acceptione quædam sunt dicenda. *Mors naturalis*, quæ est separatio animæ à corpore, simplex mors est. Sed *sentire mortem*, hoc est, terrorem & pavorem mortis, ea demum vera mors est. Sine pavore mors non est mors, sed somnus, ut inquit Christus: *qui credit in me, non videbit mortem*: ablato pavore, ablata est animæ mors. Proinde hanc descriptionem mortis constituamus. *Mors habet animam & corpus*. Corpus, est extinctio mortis animæ. *Anima mors*, est ipse pavor & horror mortis. Quod si anima mortis est mortua: corporis mors est somnus. Hic in Abrahamo animæ mors fuit, quia nihil dubitavit, sed certo scivit immolandum & illo momento occidendum esse Isaac. Quodcumque aut homo in terrore mortis constitutus est, hoc est, in ea persuasione, quam debeat mori, ibi tantam violentiam veræ mortis sentit, ut sustentare se non possit, & tum verissime moritur, non quando fit separatio animæ à corpore. Ejusmodi
duæ

duæ mirabiles mortes hic conjunguntur in summa patientia & obedientia. Abrahamo enim tolerabilius fuisset vel septies mori morte naturali, quam spectatorem, imo mactatorem esse filii. Ita uterque occiditur, cum nihil aliud videant, nec sentiant, quam mortem, & tamen coram Deo non sunt mortui.

Ad Genes. XXII. pag. 1078. seq.

§. IV.

Lex & comminatio: *quacunque die comederis ex eo, mor- Vita per pec-*
te morieris, (a) ostendit Adam esse conditum in statu innocentiae, *catum a-*
 seu justum: nondum enim erat peccatum; quia Deus peccatum *missa, & per*
 non creavit. Si itaque Adam paruisset huic mandato, nunquam *Christum*
 esset mortuus; nam mors per peccatum venit. - Hoc per pecca- *restituta.*
 tum amisimus, quod nunc inter præsentem & futuram vitam
 tam horrible medium est, mors scilicet. In statu innocentiae
 fuisset illud medium jucundissimum, quo ad spiritualem vitam
 translatus esset Adam, seu, ut Christus in Evangelio appellat, ad
 Angelicam vitam, in qua animales actiones cessant. - Justa na-
 tura nullam sensisset mortem, vixisset in summa voluptate, in
 obedientia Dei & admiratione operum Dei, usque dum tempus
 mutationis venisset. Ibi sensisset Adam simile quiddam hujus
 somni, qui suavissimus ei accidit, cubanti inter rosas, & sub amœ-
 nissimis arboribus. In eo somno esset mutatus, & translatus in
 spiritualem vitam, tam non sentiens dolorem aliquem, quam
 non sentit aperiri corpus, & eximi costam cum carne. Nunc
 mortem patitur corrupta hæc natura, eam corporis dissolutio-
 nem sequitur in piis suavissimus somnus, donec evigilabimus
 in novam & æternam vitam. Vita igitur per primum Evange-
 lium (Gen. III. 15.) nobis promissa & per Christum restituta est.
 Hic (b) est ille textus, qui Adamum & Evam vivificavit, & ex
 morte resuscitavit in vitam, quam per peccatum amiserant; sed
 tamen speratam potius, quam possessam. Sicut Paulus quoque
 sæpe loquitur: *quotidie, inquit, morimur.* Nam etsi vitam, quam

Fff fff

hic

hic vivimus, non volumus appellare mortem, tamen profecto aliud nihil est, quam perpetuus cursus ad mortem. Sicut enim qui peste infectus, jam tum, cum coepit infici, etiam mori coepit: ita postquam vita hæc per peccatum infecta est, non amplius potest proprie dici vita, propter peccatum & peccati poenam, mortem; statim enim ab utero matris mori incipimus. Per *Baptismum* autem ad vitam (pei, seu potius ad spem vitæ restituimur. Nam hæc demum vera vita est, qua coram Deo vivitur. Antequam ad eam venimus, sumus in media morte, morimur & in terra putrescimus, sicut alia cadavera, quasi nulla vita usquam sit; spem tamen habemus, qui in Christum credimus, quod simus in novissimo die resuscitandi in æternam vitam.

(a) ad Genes. II. pag. 93, b. seq. (b) ad Genes. III. 15. pag. 170.

§. V.

*Ad Deum
respicendæ
poenæ
mortis infli-
gentiæ.*

Quanta sit hæc mortis poena, pauci expendunt. David autem id docuit luculenter & graviter Psal. XC. & vel ex descriptione Dei, quod sit immensus, æternus, omnipotens, infinitus, colligi potest. Sequitur enim utrumque, quod & habitaculum ejus, seu favor super timentes eum, sit infinitus, & quod furor, seu ira ejus super securos etiam sit immensa & infinita. Nam effectus semper sequitur magnitudinem causæ efficientis. Pertinet itaque versus hic præcipue eo, quod mors in homine sit infinitis modis major calamitas, quam aliorum animantium mors. Nam etsi equi, vaccæ, & omnia bruta moriantur, tamen non moriuntur irascente Deo, sed est eis mors quædam calamitas temporalis, à Deo sic ordinata, non in poenam, sed quia alioqui Deo sic videretur bonum. Hominum autem mors est miseria & via vere infinita & æterna, propterea quod homo sit talis creatura, quæ ad hoc creata est, ut vinceret in obedientia verbi, & esset similis Deo, non est creata ad moriendum, sed mors peccati poena constituta est, sicut Deus dixit ad Adam:

Adam:

Adam: quocunque die comederis de ligno hoc, morte morieris. Non igitur hominum mors est similis morti bestiarum, quæ naturali lege moriuntur, nec est mors, quæ casu acciderit, aut temporalis esset, sed est mors, ut sic dicam, minata & profecta ab irato & alienato Deo. Nisi enim Adam comedisset de ligno prohibito, fuisset immortalis. Nunc, postquam per inobedientiam peccavit, mulctatur morte non creata, sicut est brutorum mors, quæ sunt subiecta homini, sed per iram irrogata & inflicta, & per peccatum seu inobedientiam debita. Multo igitur miserum est audire, quod homo morti sit destinatus, qui tamen ad vitam bonus & integer est conditus, ut haberet habitaculum in Deo. Ab hac felicitate per peccatum excidit, id quod Moses omnibus nobis conatur ostendere, dum personam irascentem sic diligenter pingit, ad terrendos securos & præfractos. Quando enim ait: *tu vertis hominem in contritionem, & redigis eum in nihilum*, hæc an non horribilis sententia & gravissima ira est? Hominem per iram Dei mori, tam nobilem creaturam, quæ omnibus animantibus præstat, & non Angelis, non Dæmonibus subiecta fuit, sed soli Majestati divinæ; imo quæ ad similitudinem Dei condita fuit, ut viveret & dominaretur. Hæc profecto gravior mors & tristior casus est, quam cum vacca mactatur, præsertim si respicias propagationem mali. *Hominem*, inquit, *vertis in contritionem*, hoc est, totum humanum genus; haurit enim uno verbo totam posteritatem primorum parentum. Ergo quod ad vitam creatum erat, morti jam destinatur, idque Deo irascente, & est totum humanum genus prolapsum ex immortalitate in mortem æternam. Vide autem quam prudenter Moses loquatur, cum hanc iram simpliciter refert in creatorem, ne veniat Manichæus cum insana sua turba, & faciat duos Deos, unum propitium & bonum, alterum malum. Non enim dicit, diabolus redigit homines in nihilum, sed tu ipse, qui fuisti antequam cælum & terra essent. Hoc enim Ma-

Fff fff 2

nichæi

nichai deliramentum fuit, & non dubium est, multos nunc in eodem errore esse positos, qui imaginantur omnia bona à bono Deo, mala autem à malo Deo oriri: in hoc errore vixit Augustinus annis fere novem. Sed impietas est fingere novum Deum, & hoc modo effugere ac declinare velle iram Dei, jure nobis propter peccatum irrogatam, sicut milites, qui palam contemnunt mortem. Sed quid profecisti etiam si mortem extreme contemnas? Num ideo etiam mortem vicisti? Quare meminerimus, hic non disputari de *Epicuri* cogitationibus, quomodo mitigentur mala, quæ non possunt caveri? Sed doceri nos, ut bona & mala referamus ad unum Deum, & discamus, quomodo illa mala vinci possint. Hoc enim est, quod Moses præcipue instituit facere. Prudenter itaque dixit: *tu facis homines mori*, hoc est tuum opus, imo ira tua est, quod universum genus humanum per mortem absorbetur. Non temere fiunt homines, non temere nascuntur, non temere patiuntur, non moriuntur temere. Nam ne pecudes quidem temere moriuntur, sed nostro arbitrio; sunt enim ipsorum calamitates in dominio hominum: quanto minus mors & finis hominum sine certa ratione est. Sicut igitur vita divino & certo consilio conceditur: sic etiam mors est opus iræ Dei, quo vertit creaturam hanc in contritionem, & protrudit ex vita in mortem. Ita proprie refert hunc effectum ad ipsum Deum, ut admoniti non aliunde accersamus auxilium, quam ab eo, qui inflixit malum. Qui enim percussit, idem & sanabit. Hic enim est titulus Dei nostri, quod occidit & vivificat, quod ducit ad inferos & reducit, quod (sicut hic dicit) *vertit homines in contritionem*, & jubet reverti filios hominum; ut sicut per ipsum initio accepimus vitam, ita per ipsum quoque tandem vincamus mortem, quæ mors non simpliciter concupiscentiæ, sed totius peccati causa est. Utitur quidem Deus diabolo ad affligendos nos & occidendos; sed diabolus id non potest, nisi Deus hoc modo vellet puni-

puni-

puniri peccatum. Sumus igitur oves occisionis, subjecti morti propter iram Dei, ob peccatum.

Tom. IV. Gen. Lat. fol. 526. a. b.

§. VI.

Remedium contra mortem ejusque metum Christus nobis pręparavit sua passione & morte. Repetenda ergo hic sunt, quę supra Tom. I. Loc. XVI. §. 69. & 70. dicta sunt, hanc in rem. *Christus vicit mortem, & vult ea victoria nos quoque frui;* adjuti enim ab eo non vincemur a morte, sed vincemus. - Postquam enim per Christum mors deglutita est seu absorpta, non potest amplius nocere. Etsi enim est noster hostis; tamen est spoliatus, victus, & armis ac viribus omnibus exutus. Itaque frustra eum metumus, qui in Christum credimus, victorem mortis. Atque hæc est hujus loci vera & utilis praxis, ut quoties de morte cogitamus, oculos nostros conjiciamus in Christum, & hanc ejus victoriam intueamur. Si enim mortem spectes, qualis erga nos sit, merito desperabis. Nihil enim invenies in te viriũ, quibus tam potenti hosti resistas. Cum nemine unquã congressus est, quem non vicerit, excepto uno Christo. Itaq; si tu quoque non vis vinci, cum Christo te conjunge, hoc est, nitere ejus victoria, spera te per ipsum servatum iri: & quanquam mors occidet corpus, tamen statue & crede, Christum redditurum tibi vitam meliorem & æternam. Est enim Dominus mortis, devicit eam, occidit eam, & ut Propheta hic loquitur, morti factus est pestis & exitium, ut nos, qui sub morte sumus, per eum viveremus, sicut *per eum mors mori coacta est.* Mortuum autem hostem quis tam est vecors qui timeat? Hęc consolatio firmiter tenenda est in morte & omnibus aliis hujus vitę periculis, & difficultatibus, tum fiet, ut luculenta hac spe suffulti non succumbamus. Pontificis Doctores varia pręsidia ostendunt contra mortem, sed non opera vere ficulnea. Non enim nostra opera, non aliorum merita, non opera Pontificis.

Fff fff 3

non

non intercessionem sanctorum à morte liberabunt. Hæc una via est, qua servamur, ut statuas Christum sua morte nostram mortem vicisse, & nos excitaturum esse in meliorem & æternam vitam. Paulus, pro excellenti sua cognitione, pulcherrimas & plenissimas consolationum consequentias ex hoc Prophetæ loco necit, si inquit, mors amisit aculeum seu potentiam suam, sequitur etiam peccatum per Christum expiatum, & nos ab eo liberatos esse. Ubi enim peccatum est, ibi mortem existere necesse est. Sicut e contra, ubi peccatum non est, ibi vita & iustitia adsit necesse est. Sed si peccatum per hanc victoriam sublatum est, peccati quoque virtus, hoc est, lex simul sublata est, ne damnare vel accusare nos possit. Hæc, inquit, est præclara illa victoria, quam habemus per Christum, & merito pro ea gratias agimus Deo nostro, qui eam nobis dedit, ut nos ea frueremur.

Tom. IV. Gen. Lat. fol. 673. b. 764. a.

§. VII.

*Vera ad
mortem
præparatio,
exercitium
fidei.*

Vera igitur præparatio ad mortem est exercitium fidei, scire quod mors, peccatum, infernus, Satan, in Christo crucifixo, victi & prostrati sint; ne scilicet mortem, qualis in se aut nobis est, respiciamus, sed qualis est in Christo. Hic aspectus ænei serpentis servabit nos, nec ulla alia salutis spes aut ratio usquam esse potest, quam si spectes in victorem, in quo mors est conculcata, victum peccatum, prostratus Satan. In cuius cruce pendent trophæa de nostris hostibus, & tyrannis devictis. Ita cor tuto inspicere mortem potest, nec tenetur eo spectro. Alias extra Christum mortem inspicere, & cum ea pugnare, est quasi in medio mari natæ, quin potius ascende in navim, & mane super istum malum, è quo suspensa trophæa sunt. Neque respicias aut te, aut merita tua, alioqui mergeris; sed exi à te, & abi ad Christum, qui est agnus Dei, & victima pro peccatis nostris, quæ omnium nostrum peccata sustulit, & in suo corpore vicit, in quo crucifixus diabolus & mors est. Hæc est vera & unica

unica

unica ratio contemnendæ mortis. Nam qui ita consolantur moribundos, quod mors finem calamitatum & periculorum hujus vitæ offerat: ea consolatio non est firma, neque erigere cor in pugna potest; videntur enim iis majora mala restare post mortem.

Tom. III. Gen. Lat. fol. 381. b. 382. a. in Es. 38.

§. VIII.

Hujus autem fidei, quæ victoria est, nos quidem vix unicam scintillam habemus. Tam diu enim credimus, quamdiu mortem non sentimus, ubi ea apparet, statim pavor & horror subsequuntur. Illud igitur admirandum est, & rationi impossibile creditu, quod Deus possit & velit mortem abolere, & mutare in vitam; sed hoc multo mirabilius, quod *Abraham & Isaac* persuasum habuerunt, istam totam actionem esse ludum & non mortem. Ac Deo quidem mortem ludum esse, quivis facile credit; sed si idem mihi, & in meo corpore statuendum sit, mortem non esse mortem: hoc nec Medicus, nec Philosophus, nec Jureconsultus unquam persuadebit. Quis enim ista conjunget & conciliabit: *mors non est mors*, sed vita? Moles ipse contrarium affirmat. Si enim legem audias, dicet: *media vita in morte sumus*, juxta veterem illam & piam cantionem in Ecclesia; sed est legalis tantum. Evangelium autem & fides, invertunt hanc cantionem & sic canunt: *media morte in vita sumus*, te redemptorem laudamus, suscitasti nos de morte & salvasti nos. Quia Evangelium docet, quod in ipsa morte sit vita, quod legi, & rationi ignotum & impossibile est. Hinc Paulus triumphat Col. II. 15. *expolians principatus & potestates, & ostentavit eas palam*. Item 2. Cor. VI. *quasi morientes & ecce vivimus*. Hæc fidei vis est, quæ ita mediat inter mortem & vitam, & transmutat mortem in vitam, & immortalitatem, quam scit donatam per Christum. — Fides igitur conciliat contraria; nec est otiosa qualitas, ut *Sophista* dicunt; sed virtus ejus est mortem occidere, infernum

*Non est res
levis.*

fernum

fernum damnare, esse peccato peccatum, diabolo diabolum; adeo ut mors non sit mors, etiamsi omnium sensus testetur ad esse mortem. - Hæc discamus nos quoque, ut possimus in media morte dicere: Ade **Laub und Graß**. Non moriar, sed vivam, sicut Isaac, quando petebatur ejus jugulum. Quod si adhuc pavemus & trepidamus cogitatione & conspectu mortis, agnoscamus inscitiam nostram, nec gloriemur nos esse Theologos. Videre mortem possunt omnes homines: Gentiles & impii intelligunt, quod mors sit mors. Hæc autem Christianorum sapientia, & doctrina Ecclesiæ peculiaris est, quam Abraham tenet. &c.

Ad Genes. XXII. Tom. II. pag. 1079. seqq.

§. IX.

Pro dono fidei Deus per totam vitam orandus.

Extat concio Nostri, *quomodo sit parandus animus ad mortem*, ubi prolixè hoc argumentum pertractat, ex quo sub initium hujus loci quædam retuli. Summam ergo duntaxat & anacephalæosin hic referemus. Hoc, inquit, *per totam vitam erat à Deo postulandum, ut morituris donum fidei concederet*. Id quod suavissimo carmine Germani in feriis Pentecostes canunt: *Nun bitten wir den H. Geist / um den rechten Glauben allermeist / daß er uns behüte an unserm Ende / wenn wir heimfahren aus diesem Elende*. Porro tum, cum jam moriendum est, hujus orationis, item mandati & promissionis suæ commonefacere Deum convenit, nihil dubitantes, quin nostra sit exaudita oratio. Nam si utrumque præcepit, & orationem & fidem in oratione, si quoque promisit suam gratiam, quid quæso dubitabimus de fide ipsius? sine dubio exaudiet nos, & suam redimet fidem. Quid autem à Deo amplius addi potest, ad confirmandos nos, ut sponte mortem obeamus, eamque omni metu deposito superemus? Ostendit & donat tibi in Christo vitam, gratiam & felicitatem, quibus adjutus, neque mortem, neque peccatum, nec infernum metuas. Præterea peccatum tuum, mortem
tuam

tuam, tuumque infernum, illa in unigenitum suum filium rejicit, ut is victoriam ex illis hostibus partam, tibi donet, ne quid amplius lædere te possint. Præterea tentatione mortis, inferni & peccati, Christum quoque filium suum exercet, ut habeas exemplum, quomodo ferendæ & superandæ sint tentationes illæ. Horum autem omnium donorum in te collatorum, pignora addit sua Sacramenta, ut omnino certus plane nihil dubites. Suis Angelis, sanctis ac creaturis suis omnibus, tui curam demandat, ut nusquam à te deflectant oculos, sed animam jam morituri excipiant & servent. Mandatum præterea adjecit, ut illa à se postules, & ut certo credas, omnia illa accepturum te esse. Quid igitur hic addi potest amplius? Vere igitur Deus est, qui maximas tecum res agit. Et quoniam promittit opem & robur, merito hoc mortis onus in te conjecit, ut periculum faceres, quanta gratiæ vis ac potentia esset. Sicut dicit Psal. CXI. 2. *magna opera Domini, exquisita secundum voluntatem ejus.* Sic igitur unusquisque se comparet, ut gratias Deo suo pro immensa illa bonitate & misericordia agat, neque tam terrere nos illa mortis facies debet, quam misericordia ad Deum amandum & prædicandum excitare; nam amor erga Deum & prædicatio gratiæ mirabiliter quoque mortem mitigat, sicut Isaias XXIV. dicit: *ego ostuum laude mea frenabo, ne pereas.* Id quod nobis præstet divina misericordia, per Jesum Christum Dominum nostrum Amen.

Tom. I. Jen. Lat. fol. 354--360.

Ggg ggg

LOCUS